

for nihilominus sit ordinariè puniendus, quia frustra expectatur, cujus eventus nihil operatur : cum paria sint, aliquem esse mortuum, vel lethaliter vulneratum, eò quod is, qui lethaliter vulneratur, habeatur pro occiso. Interim si vulnus se habet indifferenter vel ad vitam vel ad mortem, & quidem hoc de iudicio Medicorum, tum percussor non de homicidio, sed de vulnere tantum punitur, quia tendit in partem favorabiliorem. Et si vulneratus ex symptomate moriatur, vulnerans mitius punitur. Vide Gail. l. 2. *Observ. III. n. 22. § 23. p. 513.*

(2) *Quamdiu post acceptum vulnus vixerit?* Ex eo enim iudicium ferendum est, numquid vulneratus ex accepto vulnere sit mortuus, nec ne? sanè si brevi post vulnerationem mortuus fuerit, præsumtio est contra vulnerantem, quod vulnus lethale infigerit mortuo. Nam (1) operam dedit rei illicitæ. (2) In delictis est præsumtio contra delinquentem. c. 1. de *Præsumt.* (3) Mors ad vulnus brevi secuta est. (4) Accedit juratum Medici, vel Chirurgi iudicium. Aliàs docent Medici, quod lethaliter vulneratus non possit quadraginta dies supervivere; quos tamen si supervixerit, præsumtio est eum ex vulnere non fuisse mortuum postea. Gilhausen ad h. artic. f. 50. Et Zirizius ad eund. p. 155. Sed Clarus l. 5. §. *Homicidium. num. 43. § 44. f. 395. 396.* hoc relinquit arbitrio iudicis. Egregiè hac de re differit M. Anton. Blancus in *Pract. Crimin. p. 352. § seqq. num. 68. § 69.* Anton. de Padilla ad *L. Transigere C. de Transact. n. 29. § seqq. p. 223. § seqq.*

ARTIC. CXLVIII.

Pæna eorum, qui, cum homicidium in rixa, vel digladiatione fieret, sibi invicem auxilium tulerunt.

Straff derjenigen / so einander in Morden / Schlagen / und Rumorn / fürseßlich / oder unfürseßlich Beystand thun.

S etliche Personen mit fürgeßtem und vereinigten Willen und Muth, jemand bößlich zu ermorden / einander Hülff und Beystand thun / dieselben Thäter alle haben das Leben verdüret. So aber etliche Personen ungeschickts in einem Schlagen / oder Siefecht bey einander wären / einander helfen / und jemand also ohrgnug